



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xviii [i.e. iv]. Et si distinguerentur, adhuc anima immediatè influeret in
actus vitales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

est, jam certum est, eorum potentias distinguere inter se realiter adæquatè, sicuti ipsæ istæ partes animæ inter se distinguuntur numero, etsi ab ista parte animæ non distinguantur. Nihilominus prius videtur probabilius; etsi enim tota anima non existat in oculo, sufficienter tamen tota applicatur ad visionem elicendam per hoc, quòd partes reliquæ animæ continentur cum parte animæ existente in oculo, sicut ignis non tantum agit in passum secundum partem passu viciniorem, sed etiam secundum partes à passu remotiores: nequè etiam requiritur, ut actio vitalis recipiatur in toto suo principio, sive in omnibus partibus ejus, sed sufficit, recipi in una, cum qua reliquæ continentur.

IV. Dato jam, potentias distinguere ab anima hominis, hæc nihilominus debet immediate per suam substantiam cum iis potentiis influere in actus vitales; si enim anima immediate solum sustentando voluntatè (quam necessario sustentat, & nequit non sustentare) influat in actus vitales, habeatquè se de cætero circa illos modo mortuo, vel potest impedire aut facere, ut voluntas sibi unita peccet, vel bene agat; & jam non poterit id aliter,

aliter, quam subtrahendo his actibus suum influxum, cùm cōservationem ipsi voluntati subtrahere nequeat; vel non potest id facere aut impedire, & quomodò jam actus, circa quos se anima habuit modo mortuo, quos nequè procurare, nequè impedire potuit, ipsi vertentur laudi aut vitio? certè non magis, quàm equo imputari possit, quòd insidens ipsi eques blasphemet: quomodò jam salvabitur aut damnabitur anima (voluntas enim, utpote accidens, præmio aut pœnâ affici nequit) propter bonam malamve operationem, cujus ipsa principium immediatè liberum non fuit?

V. Specificarentur quoquè hæ potentia probabiliùs ab animabus, si ab anima distinguerentur, tanquam à principiis diversis (suppono enim illas tūc emanādas ab anima, & non à generante aut creante producendas) ita ut potentia visiva ranæ specie differret à potentia visiva equi, quia anima ranæ & anima equi specie differunt, quali modo alii effectus non statim specificantur à suis principiis V. G. frigus emanatum ab aqua à frigore emanato à terra. Specificarentur quoquè ab actibus collectivè sumptis, quos